

dis scientiis Mathematicis reliquis quotidiè decerpere: siquidem tantâ tamq; æmulâ animorum conspiratione diligentiam suam in illa arte, per Galliam, Angliam, Belgiumq; exercent, magni etiam nominis, summæq; conditionis Viri, ut, qui ad exteros delatus se in Mathematicis quidquam profecisse jactet, Analyseostamen ignorantiam fateatur, illis risum, sibi pudorem non immeritò debeat. Nostris autem oris illa Diva fermè extorris est, quandoquidem nostris, heu dolor!

----      ----      *deserta Lyceis*

*Exulat Vranie, passimq; ingentia grandes*

*Ingenia exercent nugæ, nostrisq; pudori*

*Pingvia divinâ fervent hypocausta Mathesi! (14.)*

Sed quantò diutiùs hujus Deæ laudibus inhæreo, tantò ægriùs ab illâ avelli me patior: ecce autem, invitant nos in officinas suas excellentissimi temporum nostrorum artifices, variaq;, quibus augmenta scientiarum hucusq; promoverunt, instrumenta blandâ manu nobis offerunt. Inter quæ primò omnium conspectui nostro se dat *Tubus ille mirabilis*, quem ab inventore primo *Hollandicum* sive *Batavicum*, ab officio *Opticum*, à perfectione & præstantiâ *Telescopium* appellant; eò quòd oculos juvet ad videndum clarissimè & velut è propinquo objecta quantumvis parva, quantumvis remotissima: quòd sidera cœlo deducta ad nos adducat, aut nos potiùs multò altiùs, feliciùs ac securiùs, quàm alæ Dædali, quàm Pegasus, quàm Phaëthontis currus ad sidera evehat. (15.) Inventorem nobilissimi hujus Instrumenti aliqui *Johannem Lippersein*, Perpicilliarium Middelburgensem, alii *Jacobum Metium* fuisse contendunt. (16.) Alteruter horum, cum forte fortuna concavum cum convexo vitro conjungeret, sicq; utrumq; oculo applicaret, haud sine admiratione animadvertit, objecta magnoperè augeri, oculoq; mirum in modum propinqua reddi. Quo observato utrumq; vitrum in tubum sive canalem debitâ proportionem disposuit, sicq; varia objecta, quasi ex joco spectanda transeuntibus præbuit. Sed ille jocus

14.

15.

16.

MOX